



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Adulteria tam á ciuili, quàm ab Ecclesiastico magistratu grauissimè
punita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Val. Max. lib.
6. cap. 1.

sum gladio confodisse? *Exercitu & copijs Gallogracorum à Cn. Manlio consule, in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis reguli vxor mira pulchritudinis à centurione, cui custodia tradita erat, stuprum pati coacta: postquam ventum est in eum locum, in quem centurio, misso nuncio, necessarios mulieris, pretium, quo eam redimerent, afferre iusserat: Aurum expendente centurione, & in eius pondus animo oculisq; intento, Gallogracis lingua gentis sua imperauit, vt eum occiderent. Interfecti deinde caput abscissum manibus retinens ad coniugem venit: abiectoque, ante pedes eius, & iniuria & ultionis sue ordinem exposuit. Huius femina quid aliud quisquam, quam corpus in potestatem hostium venisse dicat? Nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit: inquit Valerius. Adde ego, eam, priuata ultione, docuisse, quid adulteris, publica authoritate, debeatur: quæ authoritas, si officio suo destituta, diuinam non effugiet potestatem. Et sanè quotidianum est, vt Iudex iudicium mereatur.*

IX.
Bonif. ep. 23.
ad Theobaldum
Anno Christi 170.

Refert Bonifacius Apostolicæ sedis legatus, in antiqua Saxonia, si virgo paternam domum, vel si mulier maritata matrimonij fœdus adulterio maculauisset; coactam sua sibi manu laqueum iniicere, vitamque sibi suspendio adimere: super bustum autem illius concremata corruptorem quoque illius appensum fuisse: vel collecto feminarum agmine, per pagos villasque, circumactam, virgis, flagris, cultellis, vsque ad mortem, laceratam; vt ferro & flamma, in documentum aliorum neque Deum, neque fidem, neque castitatem curantium, adulterium vindicaretur. Tantus tunc pudicitie zelus erat, vt Cupidinis ignem, Vulcani igne expiarent. Qua de causa etiam Cranzius memorat, Anno 195. Mariam regis Aragonum filiam, Imperatricem Ottonis tertij vxorem, ob fidem marito non seruata, publicè flammis traditam atque combustam esse. Nunc à multis dubitatur, an vel de triuio, aut in ponte sedentes anus, quæ cum ipso dæmone adulterauerunt, rogo debeantur. In militibus autem crimen veniabile, & vt vocant, *peccatillum* est, si coniugem alterius violauit. Olim Aurelianus Imp. militem, qui adulterium, cum hospitis vxore commiserat,

Cranz. lib. 4.
Sax. cap. 26.
Genebr. in
Chron. l. 4.

ita puniuit, vt duarum arborum ramos, magna vi, ad terram inflexos traheret; ipsque militis pedes alligaret. Ita varicè astrictum, repentè laxatis ramis, sursum dimisit, vt in duas partes diruptus, vtriusque medius penderet. Hoc habuit, qui matrimonium diuifit. Constantinus Imp. ad Catullinum rescribens, iubet sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos parricidas, insui culeo viuos, vel exuri. Apud Cæsarem Baronium, in Alemannia, Otto Comes, à Ludouici Comitis (cuius vxorem publicis nuptijs, eo viuente, sibi nefandissimè copulârat) militibus decollatus est. Hunc Constantiensis Episcopus, non solum excommunicauerat viuum, sed etiam, eum postea, apud monasterium in prædio ipsius constructum, à suis sepultum iustiterum effodi atque sepulturâ asini sepeliri. Denique *in lege Moyses mandauit huiusmodi lapidari*. Et Ecclesiastica lege, *impedimentum criminis* est, si quis cum ea coniugium ineat, quam adulterio polluit, non tantum quando adulter procurauit mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ, vt eam in vxorem ducere posset: vel si adultera procurâret mortem viri sui, vel vxoris adulteri, morte vera secuta: sed etiam si adulteri sibi iniuicem dederint fidem de matrimonio, inter se contrahendo, post mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ. Quantæ autem talibus olim impositæ sint poenitentia, quantasque etiam hodie mereantur, prolixum esset disserendi argumentum.

Sic ergo ciuilis, sic Ecclesiasticus censuit magistratus iudicandum, quia sciebant, se quoque & iustitias suas à iudice altiore iudicandos, iuxta illud: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*, hoc est, iudices, qui quemadmodum Deus Mundum gubernat, & in manu sua habet vitam & mortem nostram, ita & ipsi orbem regunt, ac habent vitæ necisque potestatem. Itaque si videt scelerum impunitatem, clamat è cælo: *Vsquequò indicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis?* Quem locum ita intelligit D. Hieronymus: *Quando venerit ad vos iudicium, non consideratis causam, non consideratis iudicium, sed personas eorum, qui causas habent; ac si dicat: si venerit pauper habens negotium iustum, & venerit habens negotium nequam, vos personam accipitis, non negotium*. Itaque *vsquequò* iudicatis

Ggg 3

Io. Næcler.
vol. 2. Chron.
gener. 11.
Anno 176.

L. 4. Quorum
appell. C.
Theod.
Baron. tom.
11. An. 1039. 4.

Ioan. 8. 7.
In cap. super
hoc, de eo,
qui duxit,
quam &c. 2.
Et can, Rela-
tum 31. q. 3.

X.

Psal. 81. 1.

Psal. 81. 2.